



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitvlvm VIII. Si pro Clericis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Eum cui.

PARAPHRASIS.

Titio à Pontifice Canonicatus collatus est cum mandato, ut præbenda proximè vacatura eidem conferretur, postea similis gratia & provisiò in ordine ad eandem Ecclesiam à Sede Apostolica facta fuit Cajo. Iste posterior prævenit primum, & literas Capitulo priùs præsentavit, ideòque ante Titium in Canonicum receptus fuit. Quæritur, si postea præbenda vacaverit, utri eorum debeat, si ve uter horum alteri in assensione præbendæ præferri debeat. Respondet Papa, quòd is præferendus sit, cui priùs collatio facta, licet post alterum fuerit receptus, quia literas tardiùs præsentavit.

SUMMARIUM.

1. *Si duobus à Papa Canonicatus collatus sit, in assensione præbendæ præferri debet, cui priùs collatio facta est, quamvis literas suas tardiùs præsentaverit.*
2. *Aliter loquendum juxta Capitulum tibi 12. de rescriptis in 6. si utriusque de providendo mandatum tantum à Pontifice datum sit.*

NOtandum. Inter duos, quibus à Papa Canonicatus collatus est, in assensione præbendæ is præferri debet, cui priùs collatio facta, tamen si literas tardiùs præsentaverit, ideòque post alterum receptus, & in possessionem missus fuerit. Ratio dari debet, quia per solam collationem, & acceptationem beneficii, sine ejus apprehensione, seu capta possessione acquiritur jus in eo, & quasi dominium, *c. si tibi absentis 17. hoc tit. in 6.* adepto autem per collationem jure Canonici, seu Canonicatu, consequenter debetur etiam præbenda proximè vacatura, ita ut non minùs in ea jus reale, si vacaverit, habere censetur provifus, eamque tanquam connexam cum Canonici à quolibet detentore petere possit. Ita bene

annotavit *Petrus Anchoran. hic not. 3.* Rationem dans, quia in istis spiritualibus, postquam sunt debita, acquiritur dominium sine traditione.

Adverte autem, quòd versemur hic in casu, cum Canonici collatio utrique à Pontifice facta fuit, hoc casu præferri debet is, cui litteræ collationis priùs expeditæ fuerunt: ita ut collatio alteri facta non valeat. Sin autem loquamur de mandatis, quibus Papa mandat, ut provideatur, tunc recurri debet ad Capitulum *Tibi 12. de rescriptis in 6.* ubi dicitur, quòd is, qui priùs literas impetravit, in assensione præbendæ præferri debeat alteri, qui postea literas impetravit, sed in præsentando prævenit; præterquam, si eo tempore, quo litteræ à priore impetrante præsentatæ sunt, alteri collatio præbendæ jam facta sit, neque executor inhibuerit, quòd minùs fiet, neque Papa in prioribus literis decreverit, ut si quid contra fiat, irritum esset, & inane. Ita *Gl. ibi V. non existit.* Vide etiam infra cap. si Clericus XI. hoc tit. in 6.

CAPITVLVM VIII.

Si pro Clericis.

PARAPHRASIS.

Si Papa pro Clerico paupere aliòve scripserit, ut ipsi beneficium conferatur, etiam si curam habeat Animarum, potest ei conferri beneficium curatum, licet in Sacris Ordinibus non sit, neque de ea Ordinum carentia in literis mentio fiat, dummodo ad Ordines, quos beneficium requirit, se faciat in proximis à jure statutis temporibus promoveti.

SUMMARIUM.

1. *Beneficium curatum conferri potest illi spectato jure communi, qui Sacerdotium, eo quidem tempore, quo conferatur beneficium, non habet, modo intra annum suscipiat.*
2. *Ita ut secundum Jus commune locum etiam hac constitutio habeat, etiam si*

in fundatione decretum sit, ut Sacerdoti tale beneficium conferatur, si tamen in dubio sit, quid fundatio talis voluerit.

Notandum. Quando alicui beneficium curatum confertur, sufficit spectato communi jure, si sacerdotium proximo tempore suscipiat; id autem tempus, intra quod Ordo sacer ad susceptum beneficium requisitus suscipi debeat, est annus, *c. licet 14. de electione in 6. Clement. 2. de arate, & in Concil. Trident. sess. 22. c. 4. de reform.* ubi hoc idem traditur de Canonicis in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, ad hoc, ut vocem in capitulo habeant; necessarium scilicet esse, ut intra annum a die promotionis, & adeptæ pacificæ possessionis, vel cum per eos stare incipit, quod minus eam accipiant, juxta *c. commissæ 35. §. annus de electione in 6.* Subdiaconatum accipiant.

Id verò speciale est in Ecclesijs parochialibus, quod, qui eas accipiunt, & intra annum ad sacerdotium, secluso legitimo impedimento, aut dispensatione impetrata, promoveri se non patiuntur, ipso jure privati existunt; in alijs autem beneficijs certum sacrum Ordinem requiruntibus, si promoti eum intra anni spatium accipere negligant, per sententiam privandi sunt. *c. cum in cunctis 7 §. inferiora. de electione.* præterquam si Episcopus causâ studiorum dispenderit, prout dixi in *c. cum ex eo 34. de electione in 6.*

2. Porro, quæ dicta sunt, secundum jus commune, eadem locum habent in particularibus Ecclesiarum statutis, & fundationibus, si decretum sit, ut Canonicatus vel Capellania sacerdoti conferatur, ita, ut in dubio satis sit, promovendum sic esse comparatum, ut intra annum Sacerdotium suscepturus sit, prout annotavit hic *Ancharan. not. 2. & docui lib. 4. tract. 2. c. 14. n. 2. §. altera qualitas*, quia decense est, ut in dubio verba statuti intelligantur secundum jus commune, *c. cum dilectus 8. juncta Gl. V. juri communi de consuetudine & L. 2. C.*

denoxalib. actionib. Si tamen exprimat, ut beneficium non conferatur, nisi ei, qui sacerdotium accepisset, præsertim si consuetudo Ecclesiæ statutum aut fundationem ita interpretetur, observari convenit, sicuti loco sit. *Ancharan.* admonet.

CAPITULUM IX.

Si eum.

PARAPHRASIS.

Legatus Apostolicæ Sedis Titio Clerico dedit literas ad capitulum cathedrale, eique mandavit, ut illum in Canonicum, & Fratrem suum reciperet, atque beneficium primò vacaturum conferret, sed quia hujusmodi mandato obtemperatum non erat, Titius ad Papam accessit supplicans ei, ut literas Legati approbaret, is rescripsit capitulo, & mandavit Apostolicâ autoritate, ut dictum Titium in Canonicum reciperent, ipsique præbendam providerent, juxta continentiam literarum Legati. Hoc casu dubitatum fuit, utrum Titius receptus censeretur auctoritate Papæ, an auctoritate Legati. Respondet Bonifacius VIII. auctoritate papali receptum censeretur, & idem omnibus alijs eadem Apostolicâ auctoritate in ea Ecclesia receptis anteferendum esse.

SUMMARIUM.

1. Jus expectative ad beneficium vacaturum certa persona nemo dare potest de jure communi, nisi solus Papa.
2. Papa dispositionem inferioris, quamvis ob defectum potestatis invalida sit, si tamen ex certa scientia confirmet, suam facit, & vigorem illi tribuit.
3. Inter receptos in Canonicos auctoritate papali, locus est regula juris: qui prior est tempore, potior est jure, si de affectuone præbende sit sermo, prioritatem hanc computando à tempore impetratae collationis.

R 3

Notan-